

*causa.* Ipse verò formalis ordo quaternalis Fontem velut quadratum refert, ex quò numeros, quotquot opus habemus, sub expeditissimis suis formalitatibus, h. e. sub nominibus quaternalibus, haurire potest intellectus; unde Tetractys etiam frequenter *Fontis* nomine gaudet, in primis in auro carmine, quo dicitur *Fons eterna* naturæ, i. e. *Fons Numerorum*, & consequenter Idearum. Nam Numeros abstractè spectatos, ut & reliqua τὰ μαθηματικά, sive τὰ μετὰ φύσιν, nimirum abstractas lineas & figuras, perinde ut Ideas, h. e. essentias abstractas, tanquam entia saltem intelligibilia, Pythagoras, Plato, reliquique veterum *res & naturas aternas*, i. e. immutabiles, & semper eòdem modò se habentes, omnium confessione dixerunt.

Absolutè igitur Tetractys formalis notabit modum computandi juxta Quaternarium, tanquam juxta succinctum articulum. Quem numerandi modum, ut singularem quandam, & ab usu vulgi prorsus alienam Arithmeticam ex proprietatibus Quaternarii sagacissimus Pythagoras invenisse, suisq; tradidisse discipulis haud obscurè ex plurimis veterum testimoniis colligitur. Hinc enim est, quod Pythagoras à quamplurimis *Primus Arithmetica Inventor* celebretur. vid. Meursius in Denar. Pythag. c. 1. Arithmetices puta non illius vulgaris & decadicæ, quam ipse potius ab Ægyptiis & Phœnicibus didicit, vid. Schefferus in de Philosoph. Pythag. c. 5. p. 19. & seq. sed hujus singularis & tetractycæ. Quemadmodum etiam ad quaternarium numerum usque, tanquam ad articulum decade succinctiorem, Pythagoreos numerasse perspicuè satis colligi potest, tum ex eò, quod non nemo Pythagoricè numeraturus apud Lucian' in vit. auct. ubi dixisset, *unum, duo, tria, quatuor* (1, 2, 3, 10.) substituerit; cui Pythagoreus quasi per mo-

ram